



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De matrimonio, quatenus est Sacramentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

*De matrimonio, quatenus est Sacramentum.*

**M**atrimonium in lege naturæ, & veteri, quamvis verissimum fuerit matrimonium, Sacramentum tamen propriè loquendo non fuit, sicuti modò est, quod in nova lege Evangelica inter fideles contrahitur, à Christo ad dignitatem Sacramenti elevatum, prout pluribus probant *Controv.* ac fides nos docet, ita ut hodie inter fideles baptizatos contrahi non possit verum matrimonium, quin sit Sacramentum, & privata sæpius errantium ob suã peculiarem hæresin intentio, per generalem & universalem faciendi, quod Christus instituit, corrigatur; prout pluribus videre est apud Theologos, quos de aliis etiam circa materiam & formam, circa Ministrum hujus Sacramenti, circa institutionem hujus Sacramenti, &c. videre potes, vel *Auth. Meth. hic.* Illud fortassis hæc adhuc dubitabis, utrum matrimonium per Procuratorem, vel per epistolam contractum sit validum, & Sacramentum. Cui dubio communissima hodie praxis responderet, quòd validum sit matrimonium, & Sacramentum, quamvis per Procuratorem, vel per epistolam inter absentes contractum sit, cum matrimonii contractus, quem ad dignitatem Sacramenti elevavit Christus, non aliter se habeat, quàm alii contractus, qui per Procuratores & epistolas validè contrahuntur; ita tamen, ut de jure tam antiquo in *c. ult. De Procurat. in 6.* quàm Trident. plures condiciones ad validè

mattimonialiter per Procuratorem contrahendum requirantur. Primò, ut legale mandatum habeat Procurator contrahendum taliter, & quidem in certa persona. Secundo, ut per se hoc negotium peragat Procurator, non que alium substituat, nisi expressè à se ipsi concessum. Tertio, ut in intermedio tempore non revocet, prout ex alibi dictis jam patet. Quarto, ut consensus contrahentium per Procuratores tanquam interpretes, cum Parocho & testibus exprimat, ad validam matrimonii damnationem clandestinitatem; non quidem quasi consensus Procuratoris coram Parocho, & testibus fieri debeat, modò aliunde sufficienter probari possit; nec quòdum tempore, quando Procurator consensus in Principalis in tale matrimonium exiret, debeat Principalis hic sibi patens esse, & usu rationis frui, cum talis tempore fortassis dormire possit, sed quòd constituendo Procuratorem compo- sitionis fuerit, & liberè egerit, nec mandatum revocaverit, ac Procurator hinc nunc, dum coram Parocho & testibus consensum sui Principalis explicat, non ne utatur & liberè agat.

## §. III.

*De consensu requisito ad matrimonium.*

**Q**uòd ad validè contrahendum matrimonialiter, utriusque contrahentis obligationem conjugalem de presenti, consensus & acceptatio (aliter moraliter simultanea) requiratur, per verba ordinariè, aut signa exteriora, jura